

¶ 9. quinti.


AE. <sup>a</sup> Quare tertia illa proportionalis arcui Quadrantis BD, æqualis erit: Et si duplicitur, fiet recta æqualis semicircumferentiæ eiusdem circuli: Si verò quadruplicetur, fiet recta toti circumferentiæ æqualis.

## COROLLARIVM II.

SEQVITVR quoque ex his, si basis Quadratricis AE, statuatur semidiameter alicuius circuli, eius latus AD, quartæ parti circumferentiæ illius circuli esse æquale: Et lineam lateris AD, duplam æqualem esse semicircumferentiæ eiusdem circuli: Et lineam quadruplam lateris toti circumferentiæ esse æqualem.

¶ 15. quinti.

CVM enim, vt lib. 4. cap. 7. propos. 1. ostendimus, diametri circulorum circumferentijs sint proportionales, <sup>b</sup> erunt quoque semidiametri semicircumfe-



¶ 14. quinti.

rentijs, & quadrantibus proportionales. Igitur erit, vt AD, ad AE, hoc est, vt supradicta tertia proportionalis ad AD, ita Quadrans BD, semidiametri AD, ad Quadrantem semidiametri AE. Cum ergo tertia illa proportionalis æqualis sit ostensa Quadranti BD; <sup>c</sup> erit quoque recta AD, quadranti semidiametri AE, æqualis. Dupla ergo linea ipsius AD, semicircumferentiæ circuli, cuius semidiameter AE; & quadrupla toti circumferentiæ erit æqualis.

## COROLLARIVM III.

EX his quoque infertur, si duæ rectæ N, O, in præcedenti figura eandem proportionem habeant, quam AD, AE, minor autem O, statuatur semidiameter circuli alicuius, maiorem N, æqualem esse arcui Quadrantis illius circuli.

¶ 11. quinti.

CVM enim sit AD, ad AE, vt N, ad O; erit permutando AD, ad N, vt AE, ad O. Ut autem AE, ad O, ita est Quadrans semidiametri AE, ad Quadrantem semidiametri O, vt lib. 4. cap. 7. propos. 1. demonstrauimus. <sup>d</sup> Igitur erit quoque AD, ad N, vt Quadrans semidiametri AE, ad Quadrantem semidiametri O. Cū ergo